Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.

Wien, 1800 Seite 1617

Quelle:
Copyright:

et ſcripturas. Facile credam hujus etiam Refutationis Autorem eſſe *Stephanum Carthuſ.* quae incipit: *Vniuerſis orthodoxe fidei filijs et filiabus pari ihesu christi fide coequalibus* &c. et in qua dicitur *Oxoniense* illud Commentum ſe *vsque ad ſummi pontificis Alexandri V. conſpectum impudenter* intuliſſe. Et nunc demum his veluti Documentis praemiſſis ſuccedit *fol.* 191. ſupra dicta *Medulla Tritici* ſive *Antiwiclefus* Compactoris tamen, aut Scribae culpa non parum turbatus; a *fol.* enim 246. ad *fol.* 259. ſaltum facere oportet. Quae porro intercepta ſunt, hic ediſſero.

IV. *fol.* 247. Sermo de Viſitatione B. V. *Mariae* in illud *Luc.* I. 39. *Exurgens Maria abiit* &c. hoc initio: *Non ſunt loquele neque ſermones, ſcilicet non littere uel etates quarum audiantur voces debite* &c.

V. *fol.* 254. p. 2. *Libri Wikleff qui fuerunt in Vniuerſitate pragenſi Archiepiſcopo preſentati XVI. Die Menſis Julij in Curia Archiepiſcopali ut fertur ſunt cremati. Inſuper Proceſſus Infra ſcriptus miſſus in Olmucz ibidem Die XXVII. dicti Menſis publicatus exiſtit. Et ſequitur.* Initium: *Swinko dei gratia pragen. Eccleſie Archiepiſcopus Apoſtolice Sedis legatus Alme vniuerſitatis Studij Pragen. Cancellarius Executor et Commiſſarius ad infra ſcripta a dicta ſede Apoſtolica ſpecialiter deputatus. Vniuerſis* &c. *Noueritis quod cum dudum propter hereſim errores et blaſphemias* &c. Mandaſſe ſe, ut omnia *Wicleſi* Scripta ad *Cameram Theſaurarie curie Archiepiſcopalis* examinanda comportarentur, plures geſſiſſe morem, ſed *Przybiconem de Huzna, Hrotbonem de Podwek, Michabelem de Druowicz, Petrum de Walencia, Johannem de Landſtein et ipſis adherentes* per Procuratorem M. *Marcum de grecz Regine Romam* adpellaviſſe, Bulla vero *Alexandri* V. quae hic, prout extat in *Balbini Miſcell. Dec.* I. L. 6. p. 152. inſeritur, ad ſe remiſſos fuiſſe. His igitur ſub poena Excommunicationis praecipitur, ut *infra ſex dies a notificatione ſeu publicatione preſentium* omnia *Wicleſi* Scripta, quorum texitur Catalogus, in locum ſupra adſignatum conferant. *Acta ſunt hec Prage in Curia noſtra Archiepiſcopali pragen. Sita in maiori Ciuitate In preſencia nonnullorum Abbatum Priorum Prelatorum Doctorum Magiſtrorum Clericorum Scolarium et aliorum Chriſtifidelium ad ſanctam Synodum congregatorum immediate poſt Sermonem ad Clerum in dicta ſancta Synodo factum dum eidem Synodo perſonaliter preſideremus feria ſecunda proxima in Craſtino Sancti Viti que fuit dies XVI. Menſis Junij hora quaſi terciarum pontificatus Sanctiſſimi in chriſto patris et domini Domini Johannis diuina prouidentia pape XXIII. Anno primo. Preſentibus ibidem Venerabilibus viris Johanne Kbel Canonico eccleſie pragen. Nicolao Zeyſtmaiſter Decretorum Doctore Vicario et officiali, Matthya Archi-*